

Quas quia Pygmalion aevum per crimen **agentis**

**viderat,** offensus vitiis, quae plurima menti

femineae natura **dedit,** sine coniuge caelebs

**vivebat** thalamique diu consorte **carebat.**

interea niveum mira feliciter arte  
sculpsit ebur formamque dedit, qua femina nasci  
nulla potest, operisque sui concepit amorem.

virginis est verae facies, quam vivere credas,  
et, si non obstet reverentia, velle moveri:

ars adeo latet arte sua. miratur et haurit  
pectore Pygmalion simulati corporis ignes.

saepe manus operi temptantes admovet, an sit  
corpus an illud ebur, nec adhuc ebur esse fatetur.

oscula dat reddique putat loquiturque tenetque  
et credit tactis digitos insidere membris  
et metuit, pressos veniat ne livor in artus,  
et modo blanditias adhibet, modo grata puellis  
Munera fert illi conchas teretesque lapillos

et parvas volucres et flores mille colorum  
liliaque pictasque pilas et ab arbore lapsas  
Heliadum lacrimas; ornat quoque vestibus artus,  
dat digitis gemmas, dat longa monilia collo,  
**aure leves baccae, redimicula pectore pendent:**

cuncta decent; nec nuda minus formosa videtur.

conlocat hanc stratis concha Sidonide tinctis  
adpellatque tori sociam adclinataque colla  
mollibus in plumis, tamquam sensura, reponit.